

I, de ver. art. II, ergo sicut sanitas dicitur esse in medicina solum quia causat sanitatem in animali, non vero quia intrinsece sana sit, ita dicitur veritas esse in rebus solum, quia causant veritatem in nostro intellectu, non quia in eis veritas intrinsece sit, sed solum intrinsece erit entitas, a qua ut ab objecto, causatur veritas, quæ est in intellectu, sicut in medicina est virtus causativa sanitatis, non sanitas ipsa, quæ est temperatura humorum.

XLI. Confirmatur, quia bonitas dicitur in rebus per ordinem ad voluntatem quam ad se inclinatur, non per ordinem ad Deum a quo participatur bonitas: ergo similiter se habebit verum respectu nostri intellectus quem movet, licet a divino participetur.

XLII. Confirmatur secundo, quia ut præcedenti solutione diximus, falsitas simplex, et transcendentalis non invenitur in rebus, sed solum denominatio extrinseca per ordinem ad enuntiativam propositionem iudicii, in quo potest esse falsitas: ergo similiter se habebit veritas simplex in rebus: contrariorum enim eadem est ratio.

XLIII. Respondetur quod, ut jam sæpe diximus, quando D. Thomas comparat veritatem sanitati, quæ formaliter est in animali, denominative in medicina, loquitur de veritate formali, quæ consistit in manifestatione, et expressione veritatis: talis enim manifestatio solum formaliter est in intellectu, causaliter vero in rebus, seu objectis, in quibus non potest formaliter dari manifestatio veri, sed denominantur a formali veritate res veræ, ut causa, vel signum talis manifestationis, seu veritatis formalis; atque ita in linea et ordine veritatis formalis, seu veritatis manifestatæ, quidquid extra intellectum est, denominatur in ordine ad formalem veritatem extrin-

seca denominatione, quia nihil manifestationis potest esse extra intellectum intrinsece, et proprie, sed denominative est intrinsece, sicut sumpta sanitate pro temperatura humorum, non potest extra animal inveniri nisi extrinsece, et per denominationem, non intrinsece, et proprie: sanitas autem virtualis, seu sanativa, id est, virtus ad sanandum est intrinsece in medicina, et si illa vocaretur sanitas, diceremus sanitatem formalem esse intrinsece in animali, et extrinsece in medicina, sanitatem vero sanativam esse intrinsece in medicina. Sic ergo veritas transcendentalis, quæ non est formalis veritas, id est, non est ipsa forma, et manifestatio veritatis, sed est veritas mensurata, seu verificata a mensura divina, est intrinsece, et proprie in rebus, licet derivata ab intellectu divino, sicut etiam ipsa entitas, et quidditas creata est intrinseca rei, licet sic participata a Deo. Nec solum dicitur res vera per ordinem ad conceptum nostrum, quia etiamsi nullus daretur intellectus humanus, vel creatus, res dicerentur veræ, et aurum esset verum, quod haberet essentiam auri participatam ab idea divina, ut docet D. Thomas q. I de verit. ar. II, in fine corporis. Non ergo, ut dicit Vasquez ex sola denominatione ad intellectum nostrum veritas Dei dicitur in rebus, sed etiam isto ordine remoto, et manente ordine ad intellectum, et ideas divinas, qui ordo intrinsecus, et realis est in rebus, manet veritas transcendentalis. Itaque manifestatio veritatis formaliter est in intellectu, denominative in rebus, transcendentalis autem veritas, quæ est ipsa legitimatio talis essentiæ per ordinem ad suum principium originale realiter est in rebus.

XLIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod bonitas se-

quitur ad ens ut perfectum, non solum in ipso esse, et quidditate, et in ipsa perfectione ut informante, et constituente subjectum, sed ut finalizante, et movente appetitum, quia bonum est diffusivum sui, et id quod omnia appetunt: diffunditur autem bonitas seu perfectio non præcise constituendo subjectum, sed movendo appetitum: at veritas transcendentalis (de qua solum loquimur) non consistit solum in eo quod est movere intellectum, ut manifestetur, sicut bonum ut appetatur, sed præcipue consistit in legitimatione ipsius rei, et discretionem ejus ab eo quod fictum aut falsum est: legitimatio autem, et segregatio ab eo quod est fictum debet fieri per aliquam mensuram, seu regulam qua id discernatur. Quare prius est in veritate transcendentali regulari, et discerni a ficto, quam regulari, et movere nostrum intellectum; regula autem et mensura rerum naturalium est idea divina, sicut artificialium idea artificis; et ideo in respectu commensurationis ad ipsam principaliter veritas consistit. Utraque ergo tam bonitas, quam veritas in creatis sunt participationes Dei, sed diversimode, nam bonitas est participatio Dei principaliter, et formaliter in eo quod est esse diffusivum sui ad appetitum, veritas autem transcendentalis in legitimatione rei in se, et segregatione ab eo quod fictum est, et hoc fit per commensurationem ad regulam a qua sibi datur id quod sibi debetur, et proprium ac legitimum sibi est, ut explicavimus.

XLV. Ad secundam confirmationem, jam sæpe diximus veritati transcendentali non contrariari falsitatem omni modo, et secundum omnem respectum, sed solum secundum respectum quem dicit ad nostrum intellectum: dicit enim veritas rei et respectum mensurati

ad ideas divinas, et rationem mensurantem, seu moventem ad intellectum creatum; et sub primo respectu non est capax falsitatis, quia est mensurata immutabili commensuratione ideæ divinæ, quæ falli, et inadæquari non potest. Sub secundo autem respectu potest dari falsitas, quia potest false mensurare habendo occasionem decipiendi, et fallendi intellectum per inadæquationem cum ipso, licet hæc falsitas in solo intellectu sit formaliter, in objecto autem occasionaliter, quia præbet ratione similitudinis cum vero occasionem fallendi: non tamen ex hoc sequitur quod veritas principaliter consistat in habitudine ad nostrum intellectum, quem mensurat, sed ad illum per quem regulatur, et legitimitur, in quem non potest cadere falsitas. Contraria autem veritatis veritas circa idem in eo in quo contrarietatem habent, et non aliter, non autem falsitas contrariatur veritati respectu idearum divinarum, quia ibi capacitas non est falsitatis, sed solum respectu nostri intellectus, in quo talis capacitas datur, ut dictum est. Videatur D. Thomas q. I de verit. art. X, in fine corporis.

## ARTICULUS II.

### *Quid sit veritas formalis?*

De veritate formali, quia plures emergunt dubitatiuncula ad explicandum quid sit, et quid addat supra ipsam cognitionem, breviter ea quæ sic difficultatem faciunt, per breves quæstiunculas enodabimus.

### PRIMA DIFFICULTAS.

AN VERITAS FORMALIS AD CONCEPTUM FORMALEM PERTINEAT, AN AD OBJECTIVUM?

I. Dicitur conceptus objectivus res ipsa concepta, et acta per co-

gnitionem, formalis vero ipsa repræsentatio expressa concipiens, et attingens. Sententia ergo Durandi fuit, quod ista veritas est in conceptu objectivo, ita quod ipsa conformitas inter rem objective attactam, et seipsam, ut est in re, dicitur veritas formalis. Ita tenet in 1, dist. XIX, q. v, n. XIII. Sequitur p. Vasquez hic disp. LXXVI, c. 1, citatque pro illa Hervæum, Soncinatem, et alios.

II. Fundamentum a Vasquez allatum est duplex. Primum, quia veritas formalis consistit in convenientia, seu adæquatione intellectus ad rem, sed hæc adæquatio et convenientia primo, et per se non exercetur inter conceptum formalem, et objectum, sed inter rem ut cognitam, seu repræsentatam, et seipsam ut est in re : ergo in adæquatione conceptus objectivi ad seipsam in re consistit veritas formalis. Minor probatur, quia hæc adæquatio, seu convenientia consistit in hoc quod ita repræsentetur res intellectui, sicut est in se : ergo ista convenientia est inter rem repræsentatam, et rem in se : in hoc enim uniuntur seu conformantur intellectus, et res, quia videlicet ita res est repræsentata intellectui, sicut est in se, res autem repræsentata sub esse repræsentato, et objectivo, est conceptus objectivus.

III. Secundum fundamentum est, quia ibi primo, et per se est veritas formalis, ubi primo, et per se invenitur significatum per enuntiationem vocalem : hæc enim non continet veritatem, nisi sicut signum : voces autem directe non significant conceptus formales, sed objectivos, quia non significant qualitates ipsas vitales expressivas, sed res ipsas de quibus loquimur per voces : ergo veritas significata, non est in conceptibus, sed in objectis.

IV. Addere possumus in confirma-

tionem hujus sententiæ, quia veritas in mente artificis, quæ est in ideis ipsius, est veritas formalis, unde originatur veritas rei artefactæ, sed idea non consistit in ipso conceptu formali, sed objectivo, ut præcedenti disputatione tractatum est : ergo veritas formalis non consistit in conceptu formali, sed objectivo, ut adæquato rei in se.

V. Deinde confirmatur, quia negari non potest quod inter rem, ut repræsentatam, et seipsam in re debet intercedere aliqua conformitas, et adæquatio, et hæc non pertinet ad veritatem transcendentalem : ergo ad formalem. Minor probatur, quia veritas transcendentalis non consistit in rebus ut repræsentatis, sed ut existentibus a parte rei : ergo illa conformitas inter esse objectum, et seipsum in re est conformitas veritatis formalis. Denique, quia veritas intellectus desumitur ab objecto, in quo solum est veritas entitative, et fundamentaliter, non ergo transit veritas ab ipsa re ad intellectum, nisi mediante esse objectivo talis rei : ergo inter ipsum, et esse reale quod habet res ipsa a parte rei, debet conformitas veritatis intercedere, quia tale esse objectivum magis accedit ad ipsam rem in se, et est medium quo intellectus haurit, et participat veritatem a rebus.

VI. Sed neque pro ista sententia desunt auctoritates D. Thomæ quæ non modicam difficultatem videntur facere : nam 1 contra gentil. c. LIX, dicit quod : « Veritas in intellectu pertinet ad id quod intellectus dicit, non ad operationem qua id dicit : non enim ad veritatem intellectus exigitur, ut ipsum intelligere rei æquetur, sed illud quod intellectus intelligendo dicit, et cognoscit, oportet esse rei æquatam. » Sed operatio intellectus, et ipsum intelligere pertinent ad conceptum

formalem, id vero quod intelligitur ad conceptum objectivum : ergo inter ipsum, et rem in se ponit D. Thomas veritatem formalem, non inter cognitionem, et objectum. Expressius in opusculo XLVIII, tract. de enuntiat. c. IV, inquit Sanctus Thomas : « Quod quando res quæ est in intellectu objective, est conformis sibi ipsi ut est in rerum natura, tunc talis conformitas dicitur veritas. » Qui locus omnino docet hanc sententiam, nec ponderatione indiget.

Dicendum nihilominus est veritatem formalem per se, et formaliter consistere in adæquatione, et conformitate iudicii, quod est conceptus formalis cum objecto in re, non in adæquatione conceptus objectivi cum re, licet hæc conformitas etiam sequatur ex priori : si enim conceptus formalis est conformis, etiam et objectivus qui est objectum ipsum ut cognitum cum seipso ut est in re. Et ideo aliquando dicitur consistere veritatem in hac secunda conformitate, scilicet tamquam in consecuta ad priorem in qua formaliter veritas ista consistit. Probatur primo ex D. Thomæ, tum in præsentis quæstione, art. II, tum in quæstione I de verit. art. III, ubi docet formalem veritatem convenire intellectui, ut cognoscenti verum, ideoque eam attribuit compositioni, et divisioni, seu iudicio intellectus, quia ibi cognoscitur verum comparative ad rem cui conformatur intellectus, et non absolute res ipsa quæ est vera, ideoque solum illi potentiæ, quæ est reflexiva super se attribuit veritatem formalem, eamque negat sensui, ut patet in hac quæstione, art. III, non reflectit autem potentia nisi supra suum actum, et conceptum formalem. Fit ergo argumentum ex verbis D. Thomæ, quia ipse attribuit veritatem formalem intellectui, quatenus est cognoscens verum per

compositionem et iudicium : ergo illi conceptui debet attribui veritas ista formalis, cujus beneficio intellectus redditur cognoscens, et iudicans ; conceptus autem objectivus potius est denominatio cogniti passive, quam constitutio cognoscentis active ; ergo non in conceptu objectivo, sed formali ponenda est veritas formalis, quatenus cognoscentem reddit intellectum.

VII. Secundo, deducitur fundamentum hujus sententiæ, quia negari non potest quod veritas formalis, sicut et falsitas ipsam cognitionem, seu iudicium denominat verum, vel falsum in se, non solum ratione entitatis, quia ipsa cognitio in se entitative est talis naturæ, sicut alia entia : hoc enim ad transcendentalem veritatem spectat, sed quatenus ipsa cognitio, seu iudicium manifestativum est, et activum veritatis, et objecti veri in se, in hoc enim distinguitur veritas formalis a transcendentali, seu entitative, quod hæc est id quo aliquid est vere in se, illa est id quo cognoscitur ita esse in se. Pertinet ergo veritas formalis ad intellectum, non ut est, sed ut cognoscit verum. Conceptus autem objectivus non est id quo intellectus est cognoscens, sed conceptus formalis, ut constat, quia objectivus est res cognita seu objecta, formalis est repræsentans intellectui : ergo in hoc, et non in illo veritas formalis constituenda est.

VIII. Confirmatur, quia conceptus objectivus est ipsum objectum ut conceptum seu cognitum, ita quod ly cognitum est denominatio extrinseca ex cognitione proveniens : non enim potest intelligi conceptus objectivus, seu objectum conceptum, nisi latione conceptus, et cognitionis concipientis ipsum. Vel ergo adæquatio, et conformitas inter conceptum objectivum, et rem in se (in

qua dicitur consistere veritas formalis) est inter ipsum conceptum, in quantum est res quædam, vel in quantum denominatur objective talis a cognitione denominatione extrinseca. Primo modo esse non potest, quia res illa, quæ est conceptus objectivus, non est alia res ab ea quæ in re invenitur, eadem enim res quæ est in se, est etiam cognita et objecta intellectui, et sic inter ipsam in statu objectivo, et in re non datur conformitas, seu adæquatio, sed identitas, et unitas in ratione rei; unde non esset capax falsitatis, et inadæquationis, quia semper est identitas, et unitas quantum ad entitatem et rem talis conceptus cum re, et entitate quæ est a parte rei: ergo nunquam inter ipsos potest esse falsitas, et inadæquatio: at conceptus qui in nobis habet veritatem formalem est talis quod potest habere inadæquationem, et falsitatem: ergo non potest esse conceptus objectivus, sed formalis; si autem ista conformitas sumatur inter conceptum objectivum, et rem in se, non ratione entitatis, quæ una et eadem est, sed ratione status, et denominationis, qua dicitur objective esse conceptum et actum, talis denominatio cogniti, et objecti supponit ipsam cognitionem, et conceptum formalem, a quo fit illa denominatio objectivi in esse objectivi: ergo supponit etiam adæquationem ipsius conceptus formalis cum re quæ est objectum, quia si cognitio ipsa, seu conceptus formalis non esset adæquatus rei, nec etiam objectivus (qui in quantum talis a formali denominatur) adæquatus esset prout talis. Prius ergo est conceptum formalem esse adæquatum rei in se, quam conceptum objectivum sub denominatione objectivi: ergo si inter objectivum, et rem in se ponitur adæquatio veritatis formalis, a fortiori debet poni

inter ipsum conceptum formalem, et rem in se; et principaliter in ipso, cum sit forma intrinsece reddens intelligentem, et extrinsece denominans rem objectam et cognitam, quæ est conceptus objectivus in ratione objectivi.

IX. Ad fundamenta opposita respondetur ad primum negatur minor. Ad probationem dicitur quod illa adæquatio consistit in hoc, quod ita repræsentetur res in intellectu, sicut est in re repræsentatione formali, et expressiva rei; hæc autem pertinet ad conceptum formalem, non ad objectivum; conceptus enim objectivus non est conceptus repræsentans, sed res concepta, et objecta ipsi cognitioni. Unde negatur consequentia quod ista convenientia, et commensuratio sit inter rem ut objectam, seu repræsentatam, et rem ut est in se, non autem inter ipsam repræsentationem formalem, et rem ad extra, quæ est objectum ejus. Nec est verum quod conceptus, et res uniantur in ipso objecto repræsentato, et objective cognito tamquam in medio adæquationis, seu in ratione formali habendi adæquationem; potius enim ipse conceptus formalis qui per se ipsum immediate est repræsentatio, et iudicium mentis, per se ipsum immediate est attingens res iudicatas, et sic per se ipsum immediate habet adæquari, et correspondere rei repræsentatæ, et iudicatæ. Conceptus autem objectivus quantum ad rem est idem quod res ipsa in se: hæc enim est quæ objicitur, et cognoscitur; quantum autem ad statum, seu denominationem objectivi, hoc resultat in ipsa re, ex eo quod cognoscatur, et concipiatur, et sic potius se habet ut quid consecutum, ex adæquatione cognitionis, quam ut ratio formalis, seu medium quo fiat adæquatio conceptus ad rem: hæc enim adæquatio non est quod res ita sit repæsen-

tata passive, et objective, sicut est in se, sed quod repræsentatio ipsa formalis ita repræsentet formaliter, et secundum se, sicut res est a parte rei.

X. Ad secundum fundamentum respondetur, quod ibi primarie est veritas formalis, ubi est conceptus expressus, et expressivus veritatis, non ubi est res significata, et objecta isti conceptui, qui est conceptus objectivus: voces autem non solum significant res, sed etiam conceptus internos: per voces enim manifestamus nos intus concipere, et quid concipiamus, licet aliqui dicant voces significare solum res, exprimere vero conceptus, quasi differentiam invenientes inter significare, et exprimere, quæ tamen vix invenitur. Sed nobis pro nunc sufficit quod voces manifestant ipsos conceptus, seu notitiam internam quam habemus, et quia in illis est veritas formalis, dicitur hæc esse in vocibus ut in signo manifestante. Cum vero instatur, quia voces non significant conceptus, qui sunt qualitates vitales, sed objecta repræsentata in eis, respondetur quod non est necesse voces significare nobis entitatem, vel spiritualitatem conceptus interni, sed sufficit manifestare nobis exercitium, seu munus quod intus efficiunt, scilicet repræsentare, et præsens reddere objectum potentiae cognoscenti: sic enim quia repræsentatio interior, quæ solum est quoad nos non potest sensibiliter exhiberi, et repræsentare quoad alios, substituitur hæc significatio, et repræsentatio conceptuum per voces, et sic voces repræsentant conceptus formales, non quantum ad entitatem quam habent, sed in quantum signa interiora sunt, quorum loco voces ad significandum ad extra substituuntur. Et sic veritatem etiam conceptuum formalium manifestare possunt.

THEOLOGIA III.

XI. Ad tertium fundamentum, respondetur veritas formalis practica de re facienda non consistit in ipsis ideis, sed in iudicio quod secundum ideas formatur ab artifice de rebus a se fabricandis: veritas enim formalis, ut infra dicemus, consistit in actu iudicii seu compositionis, et divisionis, idea autem dicit imaginem, vel rem repræsentatam, ad cuius instar aliquid faciendum est, quod simplicem repræsentationem, seu exhibitionem originalis, et exemplaris importat, non iudicium, seu actum compositum de ipso: et sic etiam veritas ista practica ad conceptum formalem pertinet, scilicet ad iudicium.

XII. Ad confirmationem respondetur, quod inter conceptum objectum et rem in se non est conformitas, et commensuratio, sed identitas, loquendo de ipsa entitate, seu re sic objecta, quæ dicitur conceptus objectivus. Unde hæc identitas non spectat ad veritatem formalem, quia non reddit commensuratum ipsum cognoscentem cum re cognita, quod facit veritas formalis. Si vero accipiamus conceptum objectivum, non pro ipsa re quæ concipitur, sed pro ipsa denominatione objective se habendi, hæc supponit, et provenit ex conceptu formali seu a cognitione, a qua denominatur res concepta, seu objecta intellectui, et objective se habere ad illam. Unde adæquatio talis denominationis ad rem in se, debet præsupponere adæquationem ipsius formæ denominantis, quæ est cognitio seu conceptus formalis, et in hac consistet veritas primordialiter; consecutive autem, et secundario in illa determinatione. Ad id quod ultimo loco ponitur, respondetur veritatem entitativam non transire ad intellectum, media veritate objectiva, sed media specie repræsentante, qua formatur intellectus, et format